



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1626

Concha Carinata nauigera. Ex eodem. Descriptio C.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68724)

quaeque cynaba è delphinis socium habeat, quamvis noctu & ad faces. Iphis quoque inter se est publica societas.

territam visu forte tristi. Id enim vbi constat rumore, nauigantium humana calamitas in causa est.

C O N C H A.

Ex Plinio.

Descriptio XCIX.

Flrmioris iam testæ murices, & concharum genera, in quibus magna ludentis naturæ varietas, tot colorum differentia, tot figura, planis, concauis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe castis, in dorsum elatis, læuibus, rugatis, denticulatis, striatis, vertice muricatum intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato.

Tam distinctiōne virgulata, crinita, crispata, cuniculata, pectinatim, imbricatim undata, cancellatim reticulata, in obliquum, in rectum expansa, densata, porrecta, sinuata, breui nodo ligatis, toto latere connexis, ad plausum apertis, ad buccinam recuruis. Nauigant ex ijs venetiæ præbentes concauam sui partem, & auræ opposites per summa æquorum velificans, sahunt pectines, & extra volitant, seque, & ipsi carinant.

Addenda concha carinata nauigera ex Plin. l. 30. l. 9.

C O N C H A C A R I N A T A
nauigera.

Ex eodem.

Descriptio C.

Nauigeram similitudinem & aliam in Propontide visam sibi prodidit Mariannus, concham esse acatij modo carinatam, inflexa puppe, prora rostrata: in hac condi nauplium animal sepia simile, ludendi societate sola, duobus hoc fieri generibus. Tranquillo enim vectorem demissis palmulis ferre vt remis. Si vero flatus inuident, easdem in vsu gubernaculi porrigi, pandique concharum sinus aura. Huius voluptatem esse vt ferat, illius vt regat. Simulque eandem descendere incluso sinu fluctu hausto,

P O L Y P V S.

Ex D. Ambrosio.

Descriptio CI.

Fraudulentum illud Polyphi ingenium non præteribo, qui vadoso in litore petram nactus, affigitur ei, atque eius nebuloso ingenio colorem subit, & simili specie terga obductus, plurimos piscium sine vlla suspitione fraudis allapsos, dum notam non præcauent, & saxum opinantur, cassibus furtiuæ artis includit, & sinu quodam suæ carnis intercipit.

Ibidem quomodo cancri ostrea dyptycum suum explicantia, in iusto lapide venenit, præclare describit.

Plinij addenda disereta descriptio.

Ex Plinio lib. 9. cap. 30.

NON sunt prætereunda & L. Lucullo proconsule Batiæ comperta de polyphis, quæ Trebius Niger è comitibus eius prodidit audissimos esse concharum. Illas ad tactum comprimi, præcidentes brachia eorum, vltroque escam ex prædante capere. Carent conchæ visu, omnique sensu alio, quam cibi & periculi. Insidiatur ergo Polyphi apertis, impostoque lapillo extra corpus, ne palpitatu eiciatur, ita securi grassantur, extrahuntque carnes, illæ se contrahunt, sed frustra disjunctæ. Tanta solertia animalium hebetissimis quoque est. Præterea negat vllum esse atrocius animal ad conficiendum hominem in aqua. Luctatur enim complexu, & sorbet acetabulis, ac numerofo suctu detrahit eum. In naufragos vrinantque impetum caput. Sed si inuertatur, elarguescit vis. Exporrigunt enim se relupinati, muc omnibus marinis experientibus odorem quoque eorum, qua de causa & nassis illinuntur. Cætera quæ idem retulit, monstro propiora possunt videri. Carteriæ in cetarijs assuetus quidam polypus exire & man

*Ambros. l. 4.
Deus. 3.*